

05

A

972



15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100



DISPUTATIO MEDICA

Continens

Quæstiones aliquot

De

PESTILENTIA

Controversas:

Quas,

Σ Τ Ν Θ Ε Ω.

Ex Autoritate & Consensu Amplif-
simæ Facultatis Medicæ,

In Celeberrimâ VVitebergensium Academia,

P R Æ S I D E

Excellentiss. atq; Clarissimo Viro,

Dn. DANIELE SENNER-

TO, URATISLAVIENSI, PHIL.

& Med. Doct. hujusq; Publ. Profess.

Publici exercitij gratiâ examinandas proponit

IOHANNES PUCHNERUS

Crosnâ-Silesius.

In Aνεγατησιω Medicorum,

ad diem 26. Martij

WITTEBERGÆ,

Typis Martini Henckelij, An. Christi 1613



05 A 972



Π Ρ Ο Ο Ι Μ Ι Ο Ν.



*Alamitatum, quibus Deus justo iudicio
genus humanum ob enormem præce-
ptorum suorum prævaricationē acer-
bè satis affligere consuevit, infinitum
fermè esse numerum, nemo sanæ mentis
inficiatur. Inter illas autem non postremum sibi lo-
cum vendicat Pestilentia, morbus ille longè sevissi-
mus atq; atrocissimus, qui non tantum subitâ homines
miserè jugulandi potentiâ; sed cum primis maximâ a-
lios contaminandi & inficiendi vi, omninò formida-
bilis & plurimis exitiosus existit. Quod & nostrum
& alia oppida, imò regiones jam per aliquot annorum
seriem non sine magno suo malo & insigni dolore sunt
expertæ. Quandoquidem verò ille ipse morbus in-
tricato admodum controversiarum labyrintho est im-
plicatus: operæ pretium forsitan fuerit, si veritatis
eruendæ gratiâ, & liberalis exercitiij ergò, unam
atq; alteram de eo questionem tam cognitioni
pleniori, quàm curationi feliciori plurimū
inserviētem, assistente Divinâ Gra-
tiâ, publicæ utilitatis incudi
subjiciamus.*

QVAESTIO 1.

Quæ sit Pests Natura?

1. Quemadmodum Pests extremè funestam atque exitiosam perniciem ex effectis sanè tristissimis colligere non est arduum, ac eorum, qui eâ corripuntur, vitam ἐπὶ ζυγῶ ἀκ. uñs esse constitutam, ipsius experientiæ calculo plus satis, heu dolor! comprobatur: ita admodum abstrusum est, quænam sit ejus essentia, & unde illi perniciosissimi effectus, visq; prodigiosa q. alios in infinitum ferè inquinandi hominesq; tantâ perniciositate jugulandi, dependeant. Et quàm multa in hujus affectus naturâ enodandâ opinionū inter Medicos sint divortia, non latet eos, qui scripta de hac re publicata perlustrârunt.

2. Nonnullorum enim cogitationes in *Putredine* ita defixæ sunt, ut nullo modo persuaderi possint, ab aliâ causâ quàm putredine, lethales illos & perniciosos effectus promanare. Alij verò & causas & effectus Pestilentiaë diligentius expendentes, *putredine quid occultius* in eadem latere agnoverunt. Quâ in re accuratè investigandâ in primis operam navavit sedulam doctissimus Fernelius in *libris de abditis rerum causis*.

3. Qui prioris opinionis patrocinium suscipiunt, facile ipsi agnoscunt, ex putredine simplici pestem deduci non posse: aliàs enim omnes febres putridæ essent pestilentes. Proindè putredini aliquid adjungendi ansam arripuerunt, in quâ limitandâ & definiendâ anxie laborârunt.

4. Nonnulli enim, inter quos est Horat. Augen. *lib 4. e. pist. 1. tomo 1*, putredinem istam, quæ pestem constituat, magnam, excellentem adducunt. Quidam, ex quorum classe est Hieronym. Fracast. *lib 2. de morb. contag. cap. 3*, sordidam & profundam putrefactionem, includentem seminaria acutissimæ

de perhent
et cogitatio,
es.

curissimæ contagionis, intelligunt. Sunt qui largam, profundam, sordidam, conclusam, ad minima elaboratam & in lentore constitutam asserunt, è quorum censu est Ant. Portus *lib. de Peste*. Alexand. Massarias, *de abusu vesicant. fol. 8*, cum ista omnia non sufficere animadverteret, nec tamen opinioni suæ nuntium remittere annueret, peculiarem terminum & gradum putredinis inexplicabilem addit.

5. Verum hi omnes, nisi aliquid à putredine naturâ distinctum adducant, Aethiopē, quod dicitur, dealbare student & frustra laborant, quocunq; etiam modo putredinē determinent. Nam cum differentia secundum magis & minus non variet speciem: si pestis à solâ putredine ortū ducit, nullum ea peculiare morbi genus constituet, neque necessitas flagitabit, eam à reliquis putridis febribus sejungere: neque magnitudinem febris à more ejusdem distinguere. Etenim si putredinis magnitudo, excellentia, vehementia, febris magnitudinem efficit: atq; eadem malignitatem ejusdem constituit, & κακὴν θείαν producit: quænam, quæso, erit differentia inter magnitudinem & morē? quam tamen omnes Medici agnoscunt, & diversissima statuunt; recte q; Galen. *3. de Crisib. cap. 4.* scriptum reliquit: *Debiles quidem & parvæ febres quandoq; valdè malignæ sunt; & aliæ calidæ atq; incendentes, ut stomacho angustiam & calorem & sitim intolerabilem afferant, nihil tamen habent nonnunquam periculosum.* Ac vulnus ingens gladio infligi potest, quod ab omni discriminis metu nihilominus est remotissimum: aliud verò exile si telo veneno infecto inferatur, propter adjunctam malignitatem lethale redditur, licet ob magnitudinem periculo omninò destituatur.

6. Deinde si in effectus Pestilentiaæ oculorum aciem convertamus, longè alios deprehendemus, quàm qui ad solam primarum atq; manifestarum Qualitatum act. onē,

*Falsa præ
Ratione
Differentia
magis
non
Specie*

*in agendo
natura*
præter quam tamen nihil est in putredine, referri possint. Pests enim tanta in agendo est celeritas, tanta jugulandi hominem potentia, tanta alios miro modo inficiendi, se-
leq; propagandi vis, ut putredini soli ea nullo modo acce-
pta sit referenda, sed jure merito eo modo ac vi, quâ vene-
na, in corpus nostrum agere credatur.

7. Quamvis enim, quod à putrido tangitur, etiam pu-
tredine corripiatur: tamen hoc sensim fit, & in mutuâ
primarum Qualitatum actione non parum temporis ab-
sumitur. Neque ipsa putredo mox hominem interimit,
ut non solum in putridis febribus, sed etiam in Phthisicis
observatur, in quibus non rarò magna & sordida putredo
dominatur, quâ ultra dimidiam partem pulmones ali-
quando absumptos esse, experientia dicitur, ex quâ non
parum vaporum putidorum cordi propter vicinitatem
communicari consentaneum videtur. Illos tamen sæpe-
numerò vitam ad aliquot annorū decursum immunes ab
omni symptomatum pestilentium incurfione extendere,
lentæq; tandem mortis genere extingui, lippis & tonsori-
bus notum est.

8. At in Pestilentia omnia violenta esse, & subito fere-
que in momento venenatam Qualitatem sese exercere, &
quidem vehementissimè corpus afficere docemur; eodem
planè modo, quo hausta venena homines perniciousè è me-
dio tollunt.

9. Insuper seminum pestis tam stupenda sese propa-
gandi & diffundendi ratio est, ac tantillum veneni, pesti-
lennis vel in aère dispersi, vel in exili aliquo fomite laten-
tis tam diu sese integrum conservare valet, & postea in
corpus receptum tantâ celeritate tam gravia inducit *συμ-
πτώματα*, ut illam actionem omnem putredini soli nequa-
quam assignare possis; sed meritò aliquid putredine oc-
cultius & efficacius agnoscas.

10. Quæ

10. Quæ o a procul dubio ad rationis æquilibrium exactiùs pensitantes antiquiores etiam Medici, pestilentia semina venenosa appellârunt, ut apud Aetium, *tetrab. 2. serm. 1. cap. 94.* P. Aeginet. *lib. 2. de re med. c. 35.* Oribas. *Synops. l. 7 c. 24.* videre licet. Et Galen. *de Theriaca ad Pison. c. 16.* literarum monumentis commisit, *pestem, ceu feram, quandam venenatam, non paucos aliquot miserè perdere, verùm totas civitates depascere.* Et paulò post dicit, *attrahere homines in seipsos aërem illum infectum, tanquam presentaneum aliquod venenum.*

II. Adhæc si febris non semper in peste adest, de ejus essentiâ esse minimè potest. At prius tam Antiqui quàm Recentiores Medici in pestilentibus nonnullis constitutionibus observârunt. Hippocrates ille Medicorum Coryphæus *3. Epid. com. 3. t. 25.* de pestilenti quâdam constitutione, & peste tùm correptis ita scribit: *His adjuncta aliquando, aliquando non erat febris.* Et *t. 55: Alvus biliosa, pinguis, tenuis, aquosa: atq; ipse morbus multis eo erupit citra febrem, & cum febre.* Et Galen. *lib. 9. de simpl. med. facultatib. de usu boli ex Armeniâ in peste hæc habet: Bibi illum ex vino albo, cõsistentiâ levi, modicè diluto, si ager aut planè febricitans, aut leviter eâ teneatur: sin gravius febriat, admodum diluto.* Jacob. de Partib. *in 1. fen. 4.* Avicenn. *c. de febre pestilenti,* affirmat, se statu pestilenti in ijs, qui cum urinis se accesserant, tactu pulsum explorasse, & sine omni febre aut pravo symptomate eos offendisse, qui tamè ante discessum, aut paulò post vitam cum morte commutârunt. Et Alexand. Benedict. *lib. de peste c. 2.* litteris consignavit, nonnullis subito, sine febre, inter domesticas vel forenses actiones, aut publica negotia decem horarû spatio, sine urinæ, pulsusq; certo signo in templis, in viâ insperatò mortuos esse. Si febris cõjuncta fuisset, nō fieri potuisset, ut nō aliqua in pulsu
vel

vel urinâ mutatio accidisset, aut aliud ptoma apparuit
set, quod latentem febrem indicasset.

12. Idem ex diligentissimis Recentiorum observatio-
nibus liquidò constat. Hieron, Mercur. *lib. de peste c. 18.* me-
morix prodidit, in pestilentia Venetâ atque Patavinâ, quæ
Anno à partu virgineo 1575. suborta fuit, quosdam sine ul-
lo signo, sine ullo febris symptomate, Naturæ debitum sol-
viffe. Huic adstipulatur Valleriola, *lib. 3. c. 18. loc. comm.* qui
refert, in peste, quæ Anno æræ Christianæ 1533. Galliam
Narbonensem infestavit, homines, ut videbatur, sanos &
loquentes & incedentes, statim, tanquam fulmine ictos,
perijffe.

13. Et licet plerumq; febris pesti accedat: tamen & ea,
quæ tunc accidunt, satis abundè testantur, non principaliter
à putredine; sed venenosâ Qualitate homines enecari.
Etenim à pestilenti materiâ jam tum maximè cor affligi-
tur, ubi vix incipit putredo. Et proindè à summâ putre-
dine illa actio materiæ pestilentis in Cor non dependet.
Nam incipiente febre etiam putredo incipit. At simul in-
cipere & summa esse nequit, atque *ἀδύρατον* est, ut putredo
incipiat, & in momento quasi summa, excellens, profunda,
sordida evadat, gradumq; illum, à quo illi Pestilentiam cō-
stitui volunt, attingat: sed quicquid putrescit, primum levi-
ter putredinem concipit, hinc magis ac magis ad corrupti-
onem tendit. Quapropter cum mox sub principio in-
peste laborantibus actio pestilentis Qualitatis sese exerat:
summa verò putredo tum nondum adsit, sed vel nulla sit,
vel saltem incipiat, à putredine maxima illa, actio origi-
nem habere non potest.

14. Et cum Pesti febres putridæ conjunguntur, ea ipsa
putredo à veneno pestilenti provenit. Sicut enim venena
omnia putrefactionem & corruptionem corpori nostro
inducere apta nata sunt: ita & venenum pestis, cum cor
vita

vitæ fontem & caloris nativi officinam maximè affligat, & totam corporis *ὀξενοποιαν* turbet, putredinem humores concipiunt, & febres putridæ oriuntur. Pestilentia tamen natura non in putredine, sed in venenatâ illâ & malignâ Qualitate, quæ putredinis causa est, consistit.

15. His accedit & illud, quod, si actio materiæ pestilentis saltem à putredine promanaret, aër pestilens vel contagium non modo homines, sed & alia animalia sine discrimine adoriretur. Nam cum putredo omnium mixtorum affectio sit communis: pestilens aër aut contagium, si solum vi putrefaciendi polleret, eam in obvia quæque exfereret. Licet enim hoc vel illud individuum, aut hoc vel illud etiam animalium genus alio magis ad putredinē sit dispositum: tamen si causa vehementior occurrat, qualis sanè in peste perhibetur, omnia eam concipere possunt. At non omnia animalia æquè à peste eadem affligi; sed hanc hominibus, illam bobus, aliam equis vel suis exitialem esse, ipsa experientia testis est locupletissimus. Quod arguit, pestis naturam in peculiari malignitate & venenositate consistere. Quemadmodum enim venena non omnibus eadem sunt; sed quod uni animalium generi venenum existit, alijs sæpe nullam omnino noxam infert: ita & pestilens venenum aliud alijs animalibus perniciosum est.

16. Præter hæc si causas & generationem Pestis intueamur, eadem etiam aliud, præter putredinem, in peste latitare convincunt. Nam si saltem putredo pestilentiam produceret, in ijs solùm aëris constitutionibus excitari deberet, quæ ad putredinem generandam aptissimæ sunt, qualis est calida & humida. Verùm experientiâ erudi-

B

mur,

mur, in quavis aëris constitutione pestem gigni posse, & nonnunquam in aëris constitutione calidâ & humidâ pestem non excitari, è contrario in siccissimis etiam aëris constitutionibus eandem subortam esse.

17. Tandem Pestilentiaë, præter putredinem, peculiariter venenositatem inherere, ipsa Præservationis & Curationis ejusdem ratio evidentissimè demonstrat. In ejus enim Præservatione aut Curatione non solum medicamenta primis & manifestis Qualitatibus agentia, aut putredini resistentia requiruntur; sed tota salutis spes in alexipharmacis, quæ totâ substantiâ & occultâ proprietate veneno pestilenti adversantur, est reposita.

18. Et quanquam hîc nonnulli, ne propria vineta cedere alijsque herbam porrigere cogantur, id prætendant, talia non eam ob causam adhiberi, ut venenum, quod à peste prorsus exulare credunt, expugnent, sed sicando putredini resistent, aut obstructions aperiant: tamen hoc κρησφυγέτω nihil proficiunt. Quot enim, præter ἀλεξιτήρια, sunt Medicamenta alia, quæ non minori exsiccandi atque reserandi vi sunt instructa: quorum tamen in pestilentia averruncandâ planè nulla est efficacia, & quæ ne illi ipsi Medici, qui pestilens venenum impugnant, in eadem curandâ adhibere, atque in ijs solis confidere audent? Sed plura hac de re passim cum alijs Medici scripsere, tum diligenter disputavit Clarissimus Dn. Præses, Præceptor & fautor meus æviternum honorandus, in tractatu de Pestilentia, cujus meditatione, in hac quaestione conscribendâ me non parum adjutum, sine ἀχαριστίας crimine reticere non possum.

QUÆ

An venenum pestilens aliquādiu in ipso corpore humano delitescere queat?

1. Semina pestilentiae in fomite aliquo non solum per menses, sed & annos aliquot latere posse, hodie extra omnem dubitationis aleam est positum; cum haecenus experientia id saepius sit comprobatum. Verum an eadem pestis seminaria è corpore infecto hausta, in vivo corpore aliquādiu delitescere possint, antequam vim suam exerant, corpusq; aperto Marte hostiliter invadant, de eo inter Medicos disceptatur.

2. Hieronym. Mercur. *de peste c. 14.* neganti opinioni subscribit, hanc rationem adducens, quod ejusmodi venenum pestiferum, cum in corpore sit calido, citra omne dubium, & in agendo & in repatiendo quandam laesionem causaret. Huic suffragatur Ant. Sarracenus, *de peste c. 6* hac ratione persuasus, quod quantisper innati caloris vi corpus subsistit, sine intermissione cum veneno tanquam cum hoste infensissimo pugna maximè pertinaci certare soleat, quoad venenum plane propulsatum evicerit, aut ipsum animal violentiam veneni superatum intereat.

3. Verum enimvero contrariam sententiam, quam defendit Octavian. Roboretus, *de febre peticul. c. 9.* triumphare, rationes satis praegnantibus evincunt. Saepenumero enim veneno pestilenti infestatur, qui nullam omnino causam pestilentiae accusare potest, nisi seminarium pestis jam ante aliquot dierum vel hebdomadam spatium ab illo malo infectis communicatum.

4. Refert Octavian. Roboret. quod Constantinopoli, cum ex visitatione quorundam pestiferam lucem correptorum, se aliquid labis contraxisse suspicaretur, à reliqua familia

immer

conspurcaret,

vortium fecerit in ^{idem} are conclave secedens ibidemq; decem dies delitescens. Cùm autem nullum veneni vestigium appareret, seq; ab omni periculo quàm longissimè remotum crederet, rursus è cubiculo exire decrevit. Sed pede vix extra limen conclavis posito, ecce! in dextro inguine bubo erupit: huic cum quoq; novus in sinistro efflorescens accederet, parum abfuit, quin malo isto enecaretur.

5. Idem & hoc & superiori anno hïc observare in proclivi fuit, venenum scilicet pestilens non solum aliquãdiu in corporibus latuisse, sed & certis periodis vires suas exseruisse. Non rarò enim accidit, ut quopiam peste extincto, licet superstites in eãdem domo omnia studiosè curarent & circum spectè agerent, ne & ipsi infestarentur, neque quicquam suppellectilis, quam infectam suspicarentur, moverent; nihilominus post dies 14, aut aliud temporis intervallum, alius decumberet, quo jugulato post idem intervallum tertius, & post hunc quartus agrotare inciperet.

6. Imò nisi immota staret hujus assertionis veritas, causa reddi nequaquam posset, cur qui ex locis infectis sese in tutiora suæ salutis consulturi recipiunt, etiamsi nihil fomitis pestilentis secum ferant; nihilominus post aliquod tempus eodem veneno corripiantur.

7. Et cum idem in alijs venenis observationes evenire clamitent, cur non etiam in veneno pestilenti id fieri concedamus? Ut enim alia venena jam silentio prætereamus, certo & infallibili experientiæ testimonio constat, venenum canis rabidi non solum aliquot menses, sed & annos, antequam indolem suam prodat, in corpore humano delituisse.

g. Ac

Ac licet dil

pestilen
& canis rabiosi Ant. Sarracen. obtēdat, atq; illud tenue,
acre, efficax, quodq; brevissimo temporis spatio sese quo-
quoversum promptissimè insinuare possit; hoc vero segni-
us & in crassiore materiâ hærere affirmet: tamen istud sen-
tentiam contrariam non evertit. Quamquam enim lar-
gimur, tam diu in corpore humano pestilens venenum ac
canis in rabiem versi latere, quin se exserat, non posse: ta-
men nemo est, qui inficias ire ausit, variam esse veneni pe-
stilentis in agendo efficaciam & potentiam, tum etiam i-
psius patientis nunc robustiorem, nunc debiliorem resi-
stendi veneno virtutem.

9. Quapropter si venenum canis in rabiem acti (quod
certè vehementissimum ac efficacissimum esse, ex tantâ
συντηματώδων, quæ producit, sævitiâ, & præsentissimâ, nec mi-
nore, quàm quæ in veneno pestilenti deprehenditur, homi-
nem jugulandi vi, conicere non est obscurum) aliquot an-
nos in corpore latitare potest, & Galeno *lib. 6. de loc. affect.*
c. 5. attestante, *ab exiguo initio; sputi videlicet rabidi canis*
Qualitate, prava quadam in corpore dispositio sensim augetur,
tandemq; ad excellentem magnitudinem exsurgit: cui non
per dies aliquot, aut unam atq; alteram hebdomadam ve-
nenum pestilens delitescere in corpore possit?

10. Deniq; cum idem venenum canis rabie perciti li-
cet in corpore calido foveatur, & non minùs, quàm vene-
num pestiferum cum corpore humano bellum gerat *ἀσπυ-
δον*: tamen non extemplò & per initia, ubi minimam adhuc
corpus laceffendi vim obtinet; sed tum demùm, ubi vires
tractu temporis sumsit, in corpus sensibiliter agat, & vicif-
sim a Naturâ corporis oppugnetur: idem etiam in veneno
pestilenti evenire, qui statuit, nihil prorsus absurditatis im-
portat.

B 3

Quæ-

Bubones & Carbunculi quatenus Pestilentie signa sint?

1. Et pestilenti constitutione, & extra eam Carbunculos & Bubones erumpere, humanumq; genus affligere notissimum est. Cum itaq; in ijs etiam, qui peste non laborant, appareant: dubitandi ansa prebetur, an *παθογενετικῶν* Pestilentie signis sint annumeranda. Et cum ea de re non raro Medicorum iudicium petatur, qui Carbunculi & Bubones pestilentes sint: illud novisse perquam necessarium est, ne vel ij, qui peste non laborant, sine causa diffamentur, vel Reipub. aliquid damni inferatur, & plures inopinatio inficiantur.

2. Bubonum pleriq; extra statum pestilentialem periculo vacant. Etsi enim Venerei curationis sint difficilioris: non tamen sunt adeo lethales.

3. Carbunculos vero quod attinet, etsi nulli malignitatis sint expertes, & eorum perpetuo, Galeno teste *3. Epid. comm. 3. l. 12.* periculosus sit affectus, omnisq; nativam sortitur malignitatem: tamen non omnis est pestilens, sed ex constitutione pestilenti major malignitas ipsi accedere potest, ut *loco allegato* uberius docet Galenus. Quanquam autem, si oculos in signa Pestilentie attentius defigamus, Carbunculos & Bubones pestilentes a non pestilentibus dignoscere non ita difficulter liceat: tamen duo precipue occurrunt, quae Carbunculos & Bubones pestilentes arguant; nimirum si tempore pestis conspiciantur, & vulgares ac perniciosi sint: quorum utrumq; per se etiam si ad bubonem pestilentem detegendum sufficiens sit; in Carbunculo tamen utrumq; conjungendum est.

4. Qui

4. Qui enim Bubones non pestilentes, vulgares & epidemij sunt: minime lethales existunt, neq; gravia ijs symptomata, qualia pestilentibus, conjunguntur.

5. Carbunculi verò etsi omnes maligni sint, & periculo non careant: tamen illud in pestilentibus longè excellentiorem gradum est sortitum, & symptomata multo vehementiora pestilentem comitantur, è quibus sunt nausea, singultus, humorum perniciosorum vomitus, lingua nigra & livida, copiosus sudor aut tepidus aut frigidus, dejectiones liquidæ & colliquativæ, fætor animæ, spirandi difficultas, vertigo, somnus profundus, aut vigiliæ continuæ, syncope, febris calor extra mitior, intus ardentior. Et cum ex non pestilentibus ij duntaxat ægros in manifestius discrimen conjiciant, qui propè membra principalia effervescent, & qui secundum Celsum Latinorum Medicorum Principem, *lib. 5. cap. 28.* circa stomachum faucesq; repullulant, spiritum non rarò subito elidant: pestilentes nullibi locorum tuti existunt.

6. Quibus si accedat pestilens constitutio, per eandem signa superiora maximè confirmantur. Unde Horat. Augenas, *lib. 8. de febr. c. 5.* imaginari se vix posse in constitutione pestilenti non pestilentem nasci Carbunculum, pronunciare neuiquam dubitavit.

QUÆSTIO IV.

An Theriaca in Curatione Pestis adhibenda?

I. Etiam si hac nostrâ ætate Theriaca inter ἀλεξιφάρμακα, quæ in contagio pestilenti exhiberi merentur, omnium fermè Medicorum suffragio familiam ducat, ita ut operæ pretium non videatur, de eo inquisitionem instituere: quia tamen id in dubium vocavit, Theriacæque usum in curandâ Pestilentia operosè rejicere conatus est.

est Julius Alexandrinus Medicus Cæsareus celeberrimus,
in tractatu de Theriacâ, & istam quæstionem sicco pede præ-
terire noluimus.

2. Postquam ille de Naturâ Pestis, putredinis, veneni,
atque Theriacæ prolixè disseruisset, tandem propositam
quæstionem aggreditur, & primo loco quasi antea demon-
stratum præsupponit, in Peste & pestilentibus febribus
semper copiosam putredinem dominari, veneno aut vene-
noso penitus excluso.

3. Deinde cum ex præcepto Galeni, *ii. Meth. med. cap. 9.*
in curandâ febre, febrem, hancq; excitantem causam unâ,
ac putredinem, tum & virium robur considerari, hisq; sua
applicari remedia oporteat: nullum ex his Theriacam in-
dicare statuit. Causa enim, quæ est obstructio, deobstru-
entibus (ut loquuntur Medici) indiget, quæ multum de ca-
liditate & siccitate participant; putredo, quâ putredo, fri-
gidis & siccis; febris, quâ febris, frigidis & humidis. Ac
horum si æqualis inter se sit magnitudo, peræquè omnibus
auxilia feremus; illa tantùm adhibitâ consideratione, ut
quæ repugnare visa fuerint, tollantur, aut certè mitigen-
tur. Quod si eorum unum aliquod alia superet magni-
tudine aut vehementiâ, vel alterum ab altero vincatur,
majoris intentiorisq; major omninò ac potior habeatur
respectus. Et quidem in peste, cum mitia & placida *συμ-
πλωμα* febris sæpe mentiat, vis autem putredinis im-
mensa sit, meritò putredinis maximum, exiguum admo-
dum febris, nunquam tamen planè nullum, respectum ha-
bendum autumat.

4. Ex quibus porrò, ut ad rem propius accedat, istud
deducit: ingentem, immensam & summam in Peste esse
putredinem, eâq; de causâ vehementer resiccantibus ege-
re, idq; ocylsimè expedientibus, ne vicinum cordis corpus
& con-

& contiguum p
periculoso, jam ex toto perniciosū atq; exitiale malū oria-
tur. Verūm etiā si *degenerata* remedia putredo postula-
re videatur: tamen propter nobilitatē corporis ea adhibere
non conveni. Nam si adversus putredinem siccantia plus
iusto offerantur, unā cum putridis vaporibus, calore ac sic-
citate febrili in cordis corpus irruentia, in siccitatem an-
tea per se ijs de causis degenerans, siccum extemplō magis
magisq; reddent, & quō prius tendebat, in hēcticam ex pe-
stilenti febre multō antē acceleratam inferent, atq; ita in-
terdum cum putredine ipsā unā vitam simul auferre pote-
runt.

5. Ex quibus tandem concludit, neq; in Peste, neq; in
pestilente febre Theriacæ usum unquam convenire. Nam
& calorem febrilem auget, & siccitatem in primis, ob
quam ex febre ejusmodi in hēcticam jam vergit inclinariq;
cor, in quam magis adhuc citiūsq; impelletur importunā
Theriacæ exhibitione, in quā magna siccandi potestas ob
pastillos potissimum Theriacos illos & siccantissimos (ut
loquitur) & insigni humores omnes exassandi (ut or ipsius
verbo) exsugendiq; vi præditos. Mithridatio potius u-
tendum censet, in quod tanta siccandi suspicio non cadat,
propter pastillorum eorundem absentiam; aut alio medi-
camento, quod ex his compositum, quibus quoad eius fie-
ri possit, in pestilenti febre putredo, unde maximum sem-
per periculum, oppugnetur, nec tamen ab alijs partibus ne-
gligatur salus ægroti, ex febre quoq; & hēticæ suspicione
periclitantis. Quod si nec tam grandis & immensa, aut
in corde contentisq; corde suscepta fuerit putredo, tūm
multō minūs Theriacæ usi opus esse statuit; quippe cum
nec tanta opus habeamus exsiccatione in putredine mi-
nore,

C

nore,

nore, nec tan n subito remedijs succur-
rendi necessitas incumbat; & hor quoque febrilis tum
multò major sensu perceptus, quam antea, calidiora & sic-
ciora auxilia, tollendæ licet putredini apta, respuat.

6. Theriacam verò in Peste venenositati velle oppo-
nere, evidentissimum stoliditatis argumentum esse pro-
nunciat, sufficienterq; se probasse existimat, tale omninò
nihil pesti inesse.

7. Authoritatem etiam Galeni in causæ suæ subsidi-
um vocat, quem aliter unquam docuisse aut scripsisse sim-
pliciter inficiatur, neminemq; indè contrarium demon-
straturum esse firmiter credit, etiamsi omnes eius libros le-
gitimos evolvat. Adulterinos autem se nihil morari af-
firmat, sub quorum censum librum de Theriacâ ad Pilo-
nem & Pamphilianum recenset.

8. Verùm ista universa, quæ longâ verborum serie tam
operosè disputando persequitur Jul. Alexandr. falsissimo
nituntur fundamento, nimirum Pestem nihil de veneno
aut venenoso participare; sed omnem illam homines ju-
gulandi vim à summâ tantùm putredine dependere. Quod
fundamentum etsi laboriosè extruxerit: tamen omninò
ruinosum est, & proindè omnia huic superstrueta corruant,
oportet. Quapropter κατὰ λόγον, quod ajunt, illum inse-
quentes, ad ea succincta brevitate respondemus, Theria-
cam neque febris, neque putredinis, sed veneni pestilentis
causâ, quod maxime urget, exhiberi. Quamvis igitur
Theriaca calorem febrilem & siccitatem ex parte augere
possit: pestilenti tamen & malignæ Qualitati, à quâ maxi-
mum homini periculum imminet, adversatur; & commo-
dum, quod ex tempestivo ejus usu promanat, incommo-
dum

dum multis parasau, cedit. Vix enim veneno pestilenti semel ablata, nullius artis ope revocari potest: at veneno per *ἀλεξίφάρμακα* expulso, reliqua facili negotio emendari possunt.

9. Et quid obstat, quæso, quò minus Theriacæ qualitates aliorum medicamentorum refrigerantium & humectantium admittione, pro re natâ, doctissimi & experientissimi Medici prudentia temperare possit?

10. Ac quid est, quod tantoperè metuat hecticam Alexandrinus? Etenim si hecticam propriè dictam intelligit, rarò compertum est, homines post pestem in hecticam incidisse. Et posito, hoc evenire: tutius tamen esse, ægrum à peste præservari, & in hecticam incidere, quàm à veneno pestilenti enecari, nemo tam bardus est, qui id difiteri aufit. Si verò de hecticâ, quam pestilentem appellant, verba ejus accipiēda sunt, tantū abest, ut Theriacæ usu in eam quis præcipitetur, ut potius ejus auxilio ab ejusdem clade immunis evadat. Nam cum propriè loquendo omnis febris pestilens sub classe putridarum cõtineatur, tantum secundum *ἀναλογίαν* & similitudinem ad alias febres, cum alijs nominibus destituamur, quædam febres pestilentes voce hecticarum insigniuntur, quæ scilicet ipsam solidam cordis substantiam occupant: in has verò ut incidat æger, nullo modo facit Theriaca; sed magis, ne id fiat, præcavet.

11. Et si duntaxat de pestilenti febre, quæ præter ipsam malignitatē febrem habet adjunctâ, ageret Alexandrinus, faciliùs inveniret, qui huic suæ opinioni applaudent: Verùm cum de ipsâ Peste hoc affirmet, qui causæ suæ patrocinentur, vix offendet. In primis cum febris &

putredo essentiam pestis no-
Medicorum observationes & experientia satis evidenter
demonstrarint, quandoq; tantam pestilentiaævitiā ex-
titisse, ut homines, antequam febris accenderetur, jugulā-
rit, sicut supra quæst. i. monstratum est.

12. Ubi autem febris pesti conjungitur, hoc mone-
mus, ut mox in principio Theriaca propinetur, antequam
febris & insignis putredo incrementa sumant. Ubi verò
progressu temporis putredo & febris vires acquisivere, ma-
gna seges occurrit aliorum remediorum, quæ in locum
Theriacæ substitui possunt.

13. Atq; si auctoritatibus pugnare liceret, præstantis-
simos quosque Medicos ab exhibitione Theriacæ in peste
nunquam abhorruisse, monstrari profectò non esset ardu-
um. Nam quod libros de Theriaca, qui sub Galeni no-
mine circumferuntur, concernit, certè illi non adeò aliena
à Galeni mente dogmata continent. Et sint alterius au-
thoris: tamen ex Galeni doctrinâ procul dubio prodierunt,
ac testantur, jam eo tempore, Theriacæ usum pesti adver-
sari, creditum fuisse.

QUÆSTIO V.

An Chymica medicamenta ex metallis & mi-
neralibus præparata in curandâ Peste
convenient?

I. Cum ad hujus quæstionis enodationem non ἀπλῶς
responderi possit, ad tutissimum illud præsidium διωρισμῶς
confugiamus, oportet. Etenim magnam esse Spagyrico-
rum Medicamentorum ex metallis & mineralibus confe-
ctorum varietatem, variosq; eorundem effectus, nemo
ignorat, nisi qui in scholâ Chymicâ planè hospes & pere-
grinus.

2. Empi-

2. Empirici quide
mixtæ fonte vix tantùm degunt, quantum extremis la-
bris de Nilo canis Crocodilum reformidans, vitrum ♂ & ♀
præcipitatum, veneno pestilenti infectis præscribunt, parum
pensi habentes, in quàm multorùm hominùm capita in expia-
bilis error redundet; modò spe impunitatis oculos cum a-
re multo suffarcinatos inde reportent: quos eà de causâ
Galen. in libello de Prænotione, & lib. 1. Prognos. prædonibus
multò nocentiores esse non immeritò proclamavit.

3. Etsi autem & à nonnullis Medicis insigni doctrinâ
eminentissimis hæc remedia commendentur: tamen ro-
bustis rationum fulcris & momentis innixi, utriusq; istius
remedij usum in Peste meritò suspectum habemus. Nam
cum Pestilentiæ Natura in κακοχημία potissimùm non confi-
stat, sine fructu ejusmodi medicamenta ipsi opponuntur,
& quidem tantâ vehementiâ & violentiâ armata, quæ hu-
mores conturbare, vomitus & alvi profluvia ciere, undè a-
lioquin in Peste non rarò multum perniciosi repullulat, spi-
ritus dissipare, vires demoliri, cordis robur confringere, si-
tis ardorem, nauseam & tormina parere, calorem vegetum
mutare, viscera omnia pessundare, aliaq; pessimæ notæ
συμπτώματα accersere possunt, imò sæpè gravissimis morbis
& letho ipsi occasionem præbent.

4. Quanquam enim καθαρτικά & ἐμετικά in Peste com-
modè adhibita aliquid forsitan præstare apta nata sunt, non
quidem directè pestilentem malignitatem oppugnando,
sed vitiosos humores, qui pestilenti veneno, & præcipuè
febri, quæ supervenire solet, fomitem præbent, è corpo-
re educendo: tamen ne hæc tam vehementia parum
commodè id expeditum dent, ut antè dictum, valdè metu-
endum.

5. Ac quamvis nonnullis forsitan hæc medicamenta o-

pem tu
tentiam nominis celebrat. *ambabus nambus ten-*
obilissimi illius Cratonis,
III. Sacratissimorum atq; Augustissimorum Imperatorū
Medici intimi amplector, tanquam veritati magis consen-
taneam tutiorēq; qui hac de re, *in tractatu de Peste à Schol-*
tzio Consil. Med. inserto p. 1083, scriptum reliquit, licet fieri
possit, ut in tantā agitatione & *in magna dāgere,* quam supra
nominata remedia plerumq; excitant, è corporis regione
venenum exterminetur, putredinisq; vis à forti exsiccati-
one tollatur, atq; hac ratione quibusdā, robustioris nem-
pe naturæ hominibus, profuerint: tamen indè nemo tam
pueriliter, nisi cui cerebrum in calcaneo situm, colliget, o-
mnibus tutò eadem offerri posse. Imò plures multum no-
cumentis indè contraxisse, experientia tristissimo eventu
plus quàm satis comprobavit. E multis duntaxat Pal-
marium audianus, cuius hæc sunt verba, *in lib. de febre pe-*
stil. c. 23: Incredibile dictu, quam multi Stibio perierint in cru-
delissimā eā peste, qua in Lugdunenses debacchata est An. 1566.

6. Si verò quæpiam medicaminum Chymicorum ex me-
tallis sive mineris constantium tutò in Peste exhibeantur,
ea ista in primis esse arbitramur, quæ vel per sudores vene-
num expellunt, vel quæ vim obtinent prohibendi putredi-
nem, quæ à veneno pestilenti excitari solet.

7. Ex horum classe in præsentiarum duo solummodò
producere animatus sum. Primum locum sibi vendicet il-
lud, quod nonnulli Bezoardicum Minerale sive Metallicū,
alij ð diaphoreticum, alij aliter indigitant. Descripsit id
jamdudum Fr. Basil. Valentinus, *cap. de Antimonio,* & post
eum Recentiores aliquot, ac inter hos Clarissimus Dn.
Præses, *in doctissimis Medicina Institutionibus lib. 5. Part. 3*
Sect. 3. c. 18. Quod medicamentum non solum in peste; sed
etiā pestilentibus & malignis febribus tutò, etiam infanti-
bus.

bus, nec sine evidenti e-
perientiæ calculo probatur

8. Interim hîc non abs re monendum videtur, cum non-
dum satis constet, an hoc, ut & alia hujus farinae medica-
mina, Peste correptis auxilio sint, quatenus saltem sudo-
res movent, an verò etiam pestilenti veneno resistendi vim
obtineant: non inconsultum fore, si alexipharmaca longo
usu in hoc malo comprobata, ijs adjungantur.

9. Alterum locum assignamus Spiritui Θ , qui etsi
ipsi veneno pestilenti directè non opponitur: insigni ta-
men humorum corruptionem & putredinem, quæ à ma-
lignitate pestilentiae plerumq; promanare solet, prohiben-
di & auferendi vi pollet egregiâ; ita ut Horat. Augen. *de*
Peste lib. 3. cap. 17. affirmare non dubitârit, ad febrem desti-
lentialem sanandam esse talem Medicinam, quæ non ha-
beat parem.

10. Jactat quidem Johan. Bapt. Silvaticus, *controv. Me-*
dic. 48, se audaciam illorum damnaturum esse, qui oleum
e chalcantio pestilente feбри laborantibus propinare non
verentur. Verùm tantùm abest, ut id præstare possit, ut
potius suam rerum Chymicarum inscitiam nimis manife-
stè prodat. Nam quæ magno verborum apparatu contra
usum spiritus Θ disputat, & nimis operosè ex Antiquis
longâ serie adducit, quis quæso tam pinguis est Minervæ,
ut nō primo quasi intuitu videat, de integro Θ esse accipi-
enda? Vera enim calcinatione, Destillatione atq; Recti-
ficatione crassiores partes ab eodem secernuntur. Hinc
fit, ut non omnes effectus, qui in integrâ eius substantiâ de-
prehenduntur, in spiritu etiam experiamur; ac vicissim a-
lios in spiritu animadvertamus, quorum nulla in integro
fermè vestigia apparent.

II. Nec

en quæ xt reitormidemus. Li et
dendi vi polleat: attamen corpori viventi debito modo
oblatum omnino nihil incommodi creat; sed duntaxat quæ
in eodem vitiosa sunt, extirpare conatur. Potest idem plu-
ribus alijs remedijs demonstrari. Ex Livij *lib. 1. decad. 3.* patet,
aceti summam erodendi vim Annibali Carthaginensium Duci
non ignotam fuisse, qui per invias Alpium rupes Italiam
ingressurus, saxa igne accenso calefacta, aceti aspergine ita
emollivit, ut in frustra facile cæsa, facilius quoque dirueren-
tur. Eandem quoque probè perspectam habuisse Cleopatram,
Plin. *lib. 9. c. 35. nat. hist.* & Macrobi. *lib. 3. Saturn.* annotarunt,
quæ alterum unguentum ex auribus pendulorum, quibus pon-
dere magnitudine & candore pares non spectavit Oriens,
aure detractum ὄξυβάρα aceti immerfit, quem arrosione e-
jus liquefactum absorpsit. Ecce acetum, uti & berberorum,
limonum citriq; succus vi suam corrosivam saxa, margaritas,
gemmas & corallia solvunt, nec non ipsa metalla arrodunt.
quorum tamen usus tam in compositione medicamento-
rum, quam ciborum condimentis est non tantum tutissi-
mus & frequentissimus; verum etiam sæpenumero maxi-
mè salutaris.

12. Neque ipsi nomen molesti medicamenti justè impu-
tatur, uti quidem statuit Sylvaticus, cujus minima portiun-
cula magnas in corpore perturbationes efficiat, & naturam
ab opere suo distrahat, eisdemq; cum morbo pugnae re-
moram injiciat. Si enim ὄξυβάρα spiritum unquam agris propi-
nasset, profecto suæ affectioni nuntium remittere & πάλι
ἰατρὴν canere non detrectasset. Experimentiâ enim didicisset,
sine omni prorsus molestiâ & corporis perturbatione sumi
posse, imò si rebus convenientibus admisceatur, esse gra-
tissimum medicamentum, & non sine singulari voluptatis
sensu

et
o
do
ue
lu
ct,
ici
m
ta
n-
ā,
it,
n-
s,
e-
ū,
s,
it:
o.
si-
i-
u-
n-
rā
e-
bi-
As
t,
mi
a
ris
fu


05 A 972

ULB Halle 3
003 754 952


WNA







B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

... MEDICA
 ... aliquot
 ... ENTIA
 ... rfas :
 ... E Ω,
 ... Consensu Amplif.
 ... s Medicæ,
 ... rgenſium Academia,
 ... I D E
 ... larifſimo Viro,
 ... E. SENNER.
 ... VIENSI, PHIL.
 ... q; Publ.Profeſſ.
 ... xaminandas proponit
 ... ICHNERUS
 ... ileſius.
 ... Medicorum.,
 ... 6.Martij
 ... BERGÆ,
 ... lij, An. Chriſti 1613

